



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nicolai Mazzotta theologia moralis**

omnem rem moralem absolutissime complectens

**Mazzotta, Nicolò**

**Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756**

§. II. Quid de Confessario Pœnitentem docente?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41004**

## §. II.

*Quid de Confessario Pœnitentem docente?*

**S**I Confessarius advertat pœnitentem ignorare mysteria necessaria fidei, tenetur ante omnia eum docere, vel absque absolutione remittere ad Parochum, ut addiscat, juxta dicenda q. 4. Si advertat, eum ob ignorantiam, sive culpabilem, sive inculpabilem accedere indispositum, tenetur ante omnia docere, ac disponere, quia tunc proprie debet agere munus Doctoris. Cæterum homines bene educati, & qui frequenter confitentur, prudenter supponuntur scire hæc omnia; ubi tamen esset prudens ratio dubitandi, tenetur Confessarius docere. Difficultas est, quando pœnitens accedit cum ignorantia inculpabili circa tale, vel tale peccatum, vel circa obligationes inde sequentes? Qua in re

Dico primo: Si talis ignorantia est contra pœnitentem, tenetur Confessarius eum docere: Sanch. l. 2. *Matrim.* d. 38. num. 5. Tamb. Franc. & alii communiter. Ratio est, quia secus maximum pœnitenti damnum enascetur: v. g. si Confessarius advertat, pœnitentem putare aliquid, quod aliquando fecit, esse peccatum, quod in se tale non est; vel esse mortale, quod tantum est veniale; debet dedocere talem errorem, ne ob conscientiam erroneam pergat sic peccare.

Dico secundo: Si ignorantia inculpabilis fit in favorem pœnitentis, per se loquendo, tenetur etiam Confessarius eum docere: Sanch. loc. cit. & alii communiter. Ratio est, quia tenetur Confessarius, per se loquendo, cavere peccata etiam materialia pœnitentis: v. g. si is putet, aliquid non esse peccatum, quod in se peccatum est; & sic speciatim est docendus, qui laborat ignorantia turpitudinis, quæ reperitur in mollitie, si eam committat; nam vix est in hoc ignorantia invincibilis: &, quamvis esset, tamen prudenter judicari potest, admonitionem profuturam; adde quod ignari hujus malitiæ facile alios seducunt, aut pessimum habitum inducunt, quam postea difficile emendant. Dixi, *Per se loquendo*; nam per accidens aliquando præstat tacere, si nimirum prævideat, pœnitentem, ignorantia ablata, satis difficulter emendandum; quia minus malum est millies peccare materialiter, quam semel formaliter: Suar. Vasqu. Sanch. Con. & alii plusquam 48. Docto-

Doctores apud Dian. p. 3. t. 4. r. 80. contra Gonzal. Elizald. aliosque probabilioristas. Neque dicas, talem non esse dispositum, cum non sit paratus implere omnem Dei legem; nam ratione ignorantia invincibilis est pro nunc rite dispositus, & paratus implere omnem Dei legem, quam cognoscit, & aliunde nulla est necessitas explicandi aliam legem, quam prævidetur difficillime observaturus: hinc D. August. citatus cap. *Si quis autem, de Pœnitent. d. 7.* ait, *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, te non terrerem.*

Hinc, si Confessarius prudenter judicet, pœnitentem ignorantem invaliditatem sui matrimonii adhuc remanensurum in eo, si aperiat impedimentum, expedit non aperire, nisi interrogetur, nec sit in promptu dispensatio, ex dicendis de Matr.; idque verum est, etiam si pœnitens sciat, se contraxisse illicite, non autem invalide: Tamb. & alii. Similiter, si prævideat confessarius, pœnitentem non restitutum, si ei aperiat obligationem, quam habet, sed ignorat, neque expedit aperire, si non interrogetur, etiam si id sit in præjudicium tertii; quia frustra erit talis admonitio, & nocens potius pœnitenti: Sanch. num. 7. Tamb. & alii. Addit Lug. d. 22. f. 2. n. 30. hæc procedere, etiam si putares quidem, pœnitentem suscepturum admonitionem, sed tamen remedium esse difficillimum ratione infamiae, scandali, &c. quia majus est tale damnum, quam peccatum materiale: & similiter, si putares, pœnitentem nunc difficile accepturum remedium, sed alia vice melius accepturum, poteris nunc eum relictum in bona fide absolvere. At, si nesciat, vel dubitet, an sua admonitio profutura sit pœnitenti, an damnum allatura; tunc comparanda est utilitas, quæ sub eo dubio speratur, & damnum, quod sub dubio timetur; atque illud fiat, quod magis præponderare in Domino judicabitur: Tamb. & alii.

Dico tertio: Si pœnitens prudenter dubitans interroget Confessarium de re aliqua, an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, necne; per se loquendo, tenetur Confessarius aperire veritatem: Sanch. & alii communiter. Ratio est, quia, si tunc taceret, illud silentium esset erroris approbatio, quod nunquam licet. Dixi primo, *Prudenter dubitans*, nam, si sit merus scrupulus sine fundamento, posset non responderi, quia non tollitur bona fides, ut explicat Sanch. num. 51. Dixi secundo, *Per se loquendo*, quia, si veritas esset pœnitenti, vel aliis

gravius obfutura, adhuc posset Confessarius dissimulare, quasi non audivisset, aut oblitus esset respondere; quia tunc dicere veritatem esset gladium illi porrigere, quo se, vel alium formaliter jugularet: Lug. apud Arr. Tann. Dicast. & alii. Ad quid autem teneatur Confessarius, si, cum deberet, non admonuit poenitentem de restitutione facienda, vide in Tract. de Restit. dicta d. 1. q. 5. c. 6. quæsit. 2.

## CAPUT IV.

*Quid de obligatione monendi Poenitentem ad denunciationem?*

**I**N multis tenetur Confessarius monere poenitentem ad denunciandum, & primo in impedimentis dirimentibus matrimonium, juxta dicenda in Tract. de Matrim. Secundo, In monitoriis contra scientes, & non revelantes, juxta dicenda in Tract. de Censuris: Tertio, In delictis pendentibus in damnum tertii, communitatis, aut innocentium, juxta dicta de Charitate proximi tract. 2. d. 2. q. 1. c. 2. §. 6. Quarto, Præcipue monere debet de obligatione, quam habet poenitens sub pœna excommunicationis ipso facto reservatæ Papæ, si intra 12. dies (nunc intra mensem ex Decr. Congr. Generalis Inquisit. 1677.) à scientia delicti non denunciaret hæreticos (modo non sint publice tolerati, etsi commixtim vivant cum Catholicis) vel quomodolibet suspectos de hæresi, ex præcepto Inquisit. Generalis Cardin. ann. 1623. Quinam autem sint hujusmodi suspecti de hæresi, fuse habes tr. 2. d. 1. q. 1. c. 2. §. 4. de *Suspectis de hæresi*, ubi etiam circa finem habes, quid de libris tantum contra bonos mores? Porro de libris hæreticorum recurret fusior sermo q. seq. in Append. ubi de casibus reservatis in Bul. Cœn. Jam vero de Confessariis sollicitantibus; proindeque denunciandis, quoniam hic proprie locus, idcirco de iis hic fusius agam. Igitur obligatio denunciandi Confessarios sollicitantes habetur ex Constitutionibus Pauli IV. Pii IV. Pauli V. & Greg. XV. sed quoniam Bulla Greg. XV. præcipua est in præsentī materia regula, ac norma, idcirco ejus præcipue verba hic referemus, & explicabimus.

Itaque Bulla Greg. XV. quæ incipit *Universi Domini-cī gregis*, edita an. 1622. sic habet: *Statuimus, &c. quod omnes,*